



1636, 5

I. N. D. N. I. C.

DISPUTATIO JURIDICA.

De

SERVITUTIBUS
REALIBUS.

Quam permissu Magnif. Dn. Or-
dinarii, Amplis: Dn. Senioris & reliquorum Do-
ctorum facult. Jur. in almâ Philyreâ

(2)

SUB PRÆSIDIO

ELIS PUTSCHERI J. U. D.

Fac. Jur. Adfessoris, & Prof. publ.

proponit

M. MICHAEL Wirth Lipsiensis

In aroaterio Collegii majoris

Ad diem 17 Novembris 1636. horis solitis
& consvetis.

L I P S I Æ,

Typis hæred. FRIDERICI LANCKISCH.



L. N. D. N. I. C.

DISPUTATIO JURIDICA

DE SERVITUTIBUS
REALIBUS

AVTORIS DOMINI MAGNI D. O. C.

FRANCISCAE ACADEMIAE PRAESIDENTIS ET RECTORIS
FRANCISCAE ACADEMIAE IN ANNO PHISICAE

AVTORIS

FRANCISCAE ACADEMIAE PRAESIDENTIS ET RECTORIS
FRANCISCAE ACADEMIAE IN ANNO PHISICAE

FRANCISCAE ACADEMIAE PRAESIDENTIS ET RECTORIS
FRANCISCAE ACADEMIAE IN ANNO PHISICAE

AVTORIS

FRANCISCAE ACADEMIAE PRAESIDENTIS ET RECTORIS
FRANCISCAE ACADEMIAE IN ANNO PHISICAE

FRANCISCAE ACADEMIAE PRAESIDENTIS ET RECTORIS
FRANCISCAE ACADEMIAE IN ANNO PHISICAE

FRANCISCAE ACADEMIAE PRAESIDENTIS ET RECTORIS
FRANCISCAE ACADEMIAE IN ANNO PHISICAE

AVTORIS

L. N. D. N. I. C.

FRANCISCAE ACADEMIAE PRAESIDENTIS ET RECTORIS
FRANCISCAE ACADEMIAE IN ANNO PHISICAE



I. I.
I.

Servitus realis seu prædialis (a.) est jus, (b.) prædiis vicinis vel affinibus inhærens, ortumq; habens ex causa continua (c.) quo utilitas alterius augetur, (d) alterius verò, aliquid in suo patiando, vel non faciando, diminuitur (e.)

(a) Servitutis vocabulum duplicem in jure nostro habere significationem satis notum est; Aut enim accipitur pro eâ, qua persona servit; *l. 4. §. TT. ff. de statu hom.* aut de eâ, qua res vel prædium servit. Prior significatio ab instituto nostro planè aliena est. Posterior autem iterum in duplici notione est, vel de servitute, qua res personæ, vel de eâ qua res rei prædiumvè prædio debet. Illiusmodi servitutes personales, hujusmodi reales dicuntur: *l. 1. ff. de servit. De Realibus servitutibus* hac vice nobis sermo erit, quæ aliàs κατ' ἐξοχὴν servitutes vocantur, teste *Conan. l. 4. Comment. c. 7. n. 1.* Appellantur hæ servitutes aliàs prædiales, quia sine prædiis constitui non possunt *l. 1. §. 1. ff. com. præd. §. 3. I. de serv. præd.* unde etiam appellatio Realium descendit, scilicet quia prædii vox solum res immobiles complectitur *l. questio 115. §. prædium ff. de V. S.*

(b) Rerum enim incorporalium, & quæ in solo jure consistunt, species sunt hæ servitutes *§. fin. f. d. rebus corporal. §. Incorp. l. 1. §. fin. ff. de R. D. atq; ita dicuntur in pr. f. de serv. l. 2. l. 6. ff. de S. U. P.*

A 2

(c) His

(c) His verbis tria requisita servitutem realium indicantur. Ad quamlibet namq; constituendam requiritur 1. pluralitas prædiorum; necesse est enim, ut prædium aliud serviat, aliud dominetur, *l. via 2. §. 2. ff. de S. P. R.* quia nullum prædium sibi servire potest *l. cum essent 33. §. ult. ff. de S. P. R. l. 26. ff. de S. U. P. l. 10. ff. com. præd.*

Secundò requiritur vicinitas prædiorum; nulla quippe utilitatis ratio aliàs existere potest, atq; tam in urbanis, quam in rusticis prædiis *l. 15. ff. de serv. l. 1. l. 4. 9. 11. in pr. l. 38. ff. de S. U. P. l. quisella 3. §. 1. l. 38. ff. de S. R. P. l. 14. §. 3. ff. de aliment. leg.* Minime tamen per prædia vicina intelliguntur connexa seu contigua, sed non longè ab invicem sejuncta, quemadmodum in communi loquendi usu ædes dicuntur vicinæ, quæ contiguæ non sunt, sed ab invicem aliquantulum distant; sufficit enim locum talem non esse inter medium, qui usum nec in totum nec ex parte interrumpere possit *l. 7. §. 1. ff. com. præd. l. si prius 17. §. 2. & 4. ff. de aqua & aqu. plu. arc.*

Tertio ad constituendam servitutem realem necessaria est causa perpetua *l. 28. ff. de S. U. P.* Dicitur autem perpetuam causam habere, quod fit ex naturali causa, licet non assiduo *d. l. 28. & l. 7. ff. eod. Cujac. l. 11. Obs. 3.* vel quod fit ex causa, quæ non nisi raro interit, quale exemplum habetur in *l. via 23. §. 1. ff. de S. R. P.* ubi Paulus illum lacum perpetuum vocat, qui raro & non nisi magnis caloribus exarescit *Con. l. 4. Comment. c. 9.*

(d) Æquitas enim non admittit, ut gravetur vicinus aliquo servitutis onere cum suo detrimento, unde tamen nullam utilitatem capiat is, qui servitutem acquisivit *l. 15. ff. de serv.*, repugnat etiam servitutis nomen, cum nulla servitus ita dici possit, quæ non serviat, teste Cic: pro Plancio. Et ita nec fundum alteri servire posse, nisi hac ratione, ut utilis illi fit, dicendum est. (2) Quem

(e) Quemadmodum enim ex parte Dominantis utilitas necessario requiritur; ita ex parte servientis patientia *l. 15. §. 1. ff. de serv.* non ut etiam aliquid faciat. Excipitur tamen servitus oneris ferendi; quæ hoc singulare habet, ut præter patientiam dominus prædii servientis etiam aliquid agat, reficere scilicet parietem vel trabem cui onus innititur *l. 33. ff. de S. U. P. l. 6. §. 2. ff. si serv. vind.*

I I.

Summa divisio (a) servitutum prædialium est, in servitutes prædiorum urbanorum & rusticorum. (b)

(a) Sunt enim præter hanc divisionem aliæ quoque divisiones, ut illa, quæ aliæ dicuntur in superficie, aliæ in solo consistere *l. 3. ff. de serv.* In superficie consistere servitutes dicuntur non eæ, quæ à superficiario fundo imponuntur; neque etiam solum eæ, quæ rusticæ dicuntur, sed ex rusticis & urbanis eæ, quæ pertinent ad superficiem, i. e. quæ superfici ei debentur, v. g. jus tigni immittendi. In solo vero consistere servitutes dicuntur illæ, quæ solo debentur, e. g. ut ut liceat mihi per ædificium tuum in meam vineam ire *l. 13. ff. de S. U. P. Cujac. ad Paul. l. 21. ad Edict. in d. l. 3. ff. de serv.* Aliæ servitutum Divisiones brevitatis causa hic omisæ, videri possunt, apud Wes. in parat. b. T.

(b) Urbana prædia sunt, non solum ædificia in urbe constructa, sed etiam quæ extra urbem ædificata, nullum usum in re rusticâ habent *§. 1. f. b. T.* Rustica, quæ colligendis fructibus, agriculturæ, & aliis rusticorum operis inserviunt *l. 4. §. 1. ff. in quib. pign. vel hypoth. tac. contrah.* Nam prædia non loco, sed materiâ & qualitate, seu usu & fine distinguuntur *l. 198. ff. de V. S. l. 16. C. de præd. min. sin. decr. non alien.*

A 3

III.

III.

Servitutes urbanorum prædiorum aliæ sunt dilatandarum ædium: (a) aliæ commoditatum interioris domus habendarum vel retinendarum: (b) aliæ deniq; ædium exonerandarum servitutes. (c)

(c) Divisio hæc à Donello *l. 11. com. c. 4.* traditur; & docendi rationi optimè quadrare nobis videtur. Vocat autem servitutes ædium dilatandarum, quando dilatantur vel producuntur ædes nostræ in alienas: & pertinet huc servitus 1. Tigni immittendi, quæ est jus, quo in parietem vicini tignum immittere licet *l. 2. ff. de S. U. P.* Tigni autem appellatione omne continetur ex quo ædificium componitur, ut ligna, trabes, lapides & similia *l. 62. ff. de V. S.* Quæ omnia quoque in Tigni immittendi servitute comprehenduntur, ut non possit quis trabes solummodò, verum etiam lapides longos in vicini parietem immittere, concamerationes facere ab uno pariete in alium, in quibus nullis trabibus opus est *Don. l. 11. Comment. c. 4. ibiq; in enucleato Hilliger.* 2. Servitus oneris ferendi, quæ jus est, quo columna vel paries aliena onus vicinarum ædium ferre cogitur *l. 33. ff. de S. U. P.* Differt hæc servitus à servitute tigni immittendi, quod per verba promitto ferre ac sustinere onera tuæ domus id velint, ut dominus loci servientis aliquid faciat; ubi verò conceditur jus tignū immittendi, illud agitur, ut dominus loci dominantis aliquid faciat *l. 6. §. 2. ff. si serv. vind. Cæp. de serv. c. 58. n. 2. 3.* 3. Projiciendi servitus, quæ est jus super alienam aream habendi longe extensum quid, ad pluvias excipiendas. Est autem inter projectum & immissum ista differentia, quod illud sit id, quod ita provehitur, ut nusquam requiescat: hoc autem aliquo in loco requiescat *l. malum 242. §. 1. ff. de V. S.*

(b) Ad

(b) Ad commoditates interioris domus habendas vel retinendas servitutibus hisce opus est, ne à vicino impedi- antur, quod ille facere potest, nisi possessor ædium sibi ser- vitutibus hujusmodi prospiciat. Sunt vero in hoc gene- re 1. Servitus altius tollendi, quæ est jus, quo quis cogitur altius tollere ædes suas §. 2. *J. de act. l. 2. ff. de S. U. P.* 2. Ser- vitus altius non tollendi, jus nempe quo vicino necessitas imponitur, ne ædes suas ultra præscriptum & definitum altitudinis modum extollat *l. 1. l. 11. §. 1. l. 21. ff. de S. U. P. VVes. in Parat. de S. U. P. n. 3.* 3. Luminis servitus, quæ est jus, quo vicinus cogitur lumina nostra excipere, *l. 4. ff. eod.* 4. Secundæ classis servitus ne luminibus officiat est jus, quo vicinus lumen de cælo veniens obscurius facere prohi- betur *l. 15. l. 16. l. 17. ff. de S. U. P.* Multum autem interest inter hanc servitatem & servitutes altius non tollendi & ser- vitutem luminis. A prima namq; differt, quod in servitute altius non tollendi hoc solum prohibeatur, ne ædificando vicini ædes obscuriores reddantur, etiamsi viridaria & ar- bores ponat, quæ vicini ædes obscurant, *l. adificia 12. ff. de S. U. P.* At in servitute ne luminibus officiat, nec plantare potest arborem, si ea vicini ædes obscuriores reddat, imò quandoq; nec ædificium tollere, vel deprimere eidem li- cet, lumine per *ἀντανάκλασιν* in ædes devoluto *l. 17. in pr. ff. de S. U. P. Cæp. de serv. c. 36. n. 3. VVes. in par. b. t. n. 4. Harp- recht in §. præd. J. b. T. n. 33.* Ab altera servitute nimirum luminis differt servitus ne luminibus officiat, eo quod plus in se contineat. Nam qui servitatem luminum debet, potest altius ædificare, dummodo relinquat lumen suffi- ciens vicino, sed in servitute ne luminibus officiat, nihil agere illi licet, quo lumen vicini obscurius fieri ullo modo possit, etiamsi abundet ille lumine nec aliquid commodi in- de accipiat *l. 4. l. Gaurus 10. ff. de S. U. P. Cæp. de serv. c. 35.*

Duara

Duar. l. 1. disp. annivers. c. 33. Cujac. l. 1. Obs. 4. & l. 17. Obs. 35. §. Servitus ne prospectui officiat est jus, quo liberum & amœniorem prospectum quocunq; modo impedire vicinus prohibetur l. 15. ff. de S. U. P. Discrimen inter hanc & præcedentem, ne luminibus officiat servitatem est secundum magis & minus. In illâ quippe continetur, ne quid ad impediendum cœli aspectum ex superioribus fiat, in hac verò amplius hoc agitur, ne etiam in inferioribus locis quid moliat; utpote cum in inferiori loco prospectus etiam esse possit l. 16. ff. de S. U. P. VVes. in par. n. 5. 6. Ultima servitutem, quæ commoditatem interioris domus respiciunt, est servitus stillicidii, quæ est jus, quo cogitur vicinus aquam è cœlo cadentem in tectum vel aream suam recipere l. 2. ff. de S. U. P. Et hæc duplex est stillicidii avertendi & non avertendi d. l. 2. VVes. in par. de S. U. P. n. 6. In qua tamen servitute stillicidium altius tolli, non vero deprimi potest, quia scilicet quod ex alto cadit levius cadit, idcirco levior quoq; fit servitus, sicut etiam illud retroduci, non vero produci potest, nam & hoc modo levior fit servitus l. 20. §. 5. ff. eod. VVes. in par. hic n. 6. Cœp. de serv. c. 28. Harprecht in pr. 7. h. t. n. 20.

(c) Servitutes ædium exonerandarum sunt, quibus onera in alienum devolvuntur, quæ nobis aliâs molestiam conciliarent, quam sic vicinus pati cogitur. Hujusmodi est 1. Servitus cloacæ immittendæ l. 7. ff. de serv. quæ est jus, quo cogitur vicinus colluviem sordium & immundiciarum recipere l. 1. §. 4. ff. de cloacis. 2. Servitus fluminis recipiendi, quæ est jus, quo aqua pluvia, vel sola, vel cum alia mixta in alienum derivatur, & per alienum devolvitur, l. 28. ff. de S. U. P. l. 1. ff. de aq. & aq. pluv. arc. Differt à servitute stillicidii ratione loci & modo. Stillicidium enim in alto est & minus molestiæ secum fert; contra flumen per

per ima ducitur & majori onere prædium serviens afficit
*d. l. 28. l. 20. §. 5. ff. eod. 3. Servitus fumi immittendi, quæ
est jus, quo in superiora ædificia ex inferioribus fumum
immittere licet l. 8. §. 5. si serv. vind.*

I V.

Rusticorum prædiorum servitutēs aliæ sunt
ad fundum accedendi per alienum, (a) aliæ su-
mendi quippiam ex alieno, (b) aliæ deniq; exone-
randi fundum per alienum. (c)

(a) Et hæc distributio servitutum prædiorum rusti-
corum à Donello *l. 11. Com. c. 6. 7. & 8.* traditur. Perti-
nent autem ad has classes diversæ servitutes. Ad primam,
quæ est earum, quibus per alienum accessionem ad fun-
dum nostrum nanciscimur. 1. Iter, quod est jus eundi am-
bulandi hominis *in pr. 7. b. T. l. 1. ff. de S. P. R.* Ire autem
dicitur non is tantum qui pedibus incedit, sed etiam, qui
sella aut lectica aut equo singulari vehitur *l. 7. in pr. l. 12. ff.
de S. R. P.* 2. Actus, qui est jus agendi jumentum vel ve-
hiculum *l. 1. ff. de S. R. P. pr. 7. b. T.* Differt actus ab iti-
nere tanquam totum à parte; iter enim pars actus est, &
sub eo continetur, quia semper servitute actus constituta
tacite quoq; iter inest, ut non solum quis cum jumento,
verum etiam solus ire possit *l. 58. ff. de V. O. l. 9. §. fin. ff. de
Novat. Cujac. 22. O. 35. Lycklama 3. Membr. Eclog. 12. Cæp.
de serv. Rust. c. 2. n. 2.* 3. Via, quæ est jus eundi agendi
& ambulandi *l. 1. ff. de S. R. P. pr. 7. b. T.* Differt via ab
actu, 1. quod via semper & proprietate suâ jus agendi
vehiculum contineat, actus non semper *l. via 23. ff. de
S. P. R. Cujac. 22. O. 35. Don. l. 11. Com. 16. Lycklama 3.
Membr. Ecl. 12. quod in viâ etiam contineatur jus trahen-*

B

di ti-

di tignum, ferendi hastam rectam, secus in actu l. 7. ff. eod.
Bach. ad Tr. vol. 1. disp. 17. tb. 4. l. 6. 4. Aquæ ductus, qui
est jus aquæ ducendæ per fundum alterius l. 1. ff. de S. R. P.
sive enim ex publicâ sive privata ducatur aqua per alie-
num, citra hanc servitutem impetratam duci non potest.
l. 2. C. de serv. l. 29. §. 1. ff. ad L. Aquil.

(b) Spectat huc 1. Aquæ haustus, qui est jus hauri-
endi aquam ex fonte vel flumine vicini l. 1. §. 1. l. 9. l. 20.
ff. de S. P. R. §. 2. 7. b. T. nam ex fonte vel flumine publi-
co etiam sine servitute haurire licet l. 3. §. fin. ff. eod. 2. Jus
pedamenta ad vineam ex vicini prædio sumendi, l. 3. §. 1.
ff. de S. R. P. 3. Jus cretæ eximendæ. 4. Jus calcis co-
quendæ. 5. Jus arenæ fodiendæ. 6. Jus lapides exi-
mendi ex vicini prædio, quatenus ad fundum dominantem
opus est l. 1. §. 1. l. 5. §. 1. l. 6. §. 1. ff. de S. R. P. 7. Jus pa-
scendi, quo licet pecus in agris & pratis vicini pascere.
8. Pecoris ad aquam appulsus, qui est jus agendi pecora
ad fontem vel flumen vicini aquandi gratia d. l. 1. §. 1. l. 3. §.
4. ff. eod.

(c) Tertii generis servitutum prædiorum rusticorum,
quæ fundi exonerandi causa constituuntur sunt 1. Jus
educendi aquam quæ in fundo est, aperto sulco in vicini
fundum l. 29. ff. de S. R. P. 2. Jus cogendi fructus in vici-
ni villâ, coactosq; ibi habendi l. 3. §. 1. ff. eod. 3. Jus,
quo licet mihi lapides in vicini fundum provolvere,
illos, & terram & rudes ibi ponere, habere, exportare.
d. l. 3. §. 2.

V.

Constituuntur servitutes à Dominis fundorum (a)
I. pacto & stipulatione inter vivos (b) II. testamen-
to, si

to, si testator condemnat heredem, ut serviat præ-
dio alieno (c) III. usucapione seu longi temporis
præscriptione. (d)

(a) Quia nemo acquirere servitutem urbano vel ru-
stico prædio potest, nisi ipsemet habeat prædium, l. 1. §. 1.
l. 6. in fin. pr. ff. com. præd. §. 3. J. b. T. Ideoq; socius non
potest fundo communi acquirere vel imponere servitutem
l. 2. ff. de serv. l. 34. ff. de S. R. P. l. ut pomum §. 1. ff. de
serv. l. 26. ff. de S. U. P. l. 5. ff. com. præd. l. 140. §. 2. ff. de V. O.
quia servitutes reales sunt individua, ut pro parte consti-
tui nequeant l. via 17. ff. de serv. l. 4. §. Cato. ff. de V. O.
nisi alter socius consentiat l. 6. §. 2. ff. com. præd. Hujus
occasione quærunt Interpretes, num etiam vasallus servi-
tutem acquirere possit? Et dicendum videtur potestatem
illum habere constituendi, verum constitutam servitutem
tam diu durare, quamdiu ipse & heres ejus in vivis exi-
stunt, quod si revolvitur feudum ad dominum distinguen-
dum est, an utilis sit prædio, an verò onerosa? si utilis,
utiq; eam dominus pro suo arbitrio retinet, quia ejus con-
ditionem vasallus meliorem facere potest §. 1. ff. de in-
vest. de re alien. fact. l. 2. feud. si verò onerosa, tum mor-
te vasalli expirat, Cap. un. de invest. de re al. fact. l. 2. f.
Coep. de serv. c. 14. Cujac. l. 2. f. c. 9. Sichard. ad l. 2. C. b. T.
Harprecht in §. 3. J. b. T. n. 25. Idem quoq; juris est in
Emphyteuta, quia utilis est dominus & habet quoque ac-
tionem in rem, instar veri domini l. 1. §. 1. ff. si ager. Emph.
pet. & in superficiario l. 1. §. fin. ff. de superfic. Don. l. 9. c. 17. At
Usufructuarius servitutem imponere fundo fructuario
non potest l. 61. ff. de usufr. quia non habet ejus domini-
um, quod habere necesse est eum, qui servitutem constitue-
re cupit §. 3. J. de serv.

B 2

(b) §. 4.

(b) §. 4. J. b. T. l. 5. in pr. ff. de serv. l. 33. ff. de S. R. P.
Non tamen sub conditione vel ad tempus vel ex tempore
stipulatio pactumve servitutum prædialium inire potest
l. 4. ff. de serv. hoc enim repugnat naturæ illarum, requiren-
ti causam perpetuam ut ostensum est *th. i. l. c.* tempus au-
tem & conditionem hujusmodi causam non esse satis no-
tum est. Deinde quia nusquam scriptum reperitur servi-
tutes vel ex tempore aut per conditionem amitti T. T. ff.
serv. quemad. amitt. Naturale autem est amitti aliquid ex
iisdem causis ex quibus acquiritur. l. 35. ff. de R. 7.

(c) §. fin. J. b. T. l. 5. in pr. ff. de serv. l. 31. ff. de S. U. P. l. 16.
ff. com. præd. l. 3. in pr. ff. de usufr. non verò testamento so-
lum, sed per aliam quoque supremam voluntatem, quæ de Ju-
re valet, relinquere possunt, e. g. Codicillis, qui idem hoc in
loco operantur, quod solenne testamentum pr. J. de Co-
dic. Legari quoque possunt non modo per damnationis
modum, sed insuper per modum vindicationis l. 1. §. 1. ff.
quemad. serv. amitt. Quanquam sublatis legatorum istis
modis & inter se confusis per l. 1. C. com. de leg. hæc obser-
vatio non magni sit momenti.

(d) Olim servitutes usucapi vel præscribi non pote-
rant, rusticæ quidem, quia aliud remedium aderat, tum non
utendo amitterentur; urbanæ verò, quia obstabat lex Scri-
bonia usucapionem earum prohibens l. 4 §. 29. ff. de usurp.
& usucap. l. 14. in pr. ff. de serv. l. 43. §. 1. ff. A. R. D. Cujac. add.
l. 4. §. fin. eâ ratione, quod naturæ usucapionum illud re-
pugnare videbatur; quippe, quæ exigit veram possessionem
in usucapiente, servitutes verò non possidentur, sed usus
pro possessione habetur. Hodie tamen post Const. Ju-
stin. in l. fin. C. de usucap. transform. in distinctè omnes
servitutes usucapiuntur, nec opus est hoc in loco distin-
ctione inter servitutes continuas ac discontinuas Don. l. 11.

Com

Com. c. 11. Ista tamen introducta servitutum usucapio propriè re consideratâ, nec hodie vera ac genuina est, quia propriè possideri non possunt, sed impropria ac quasi usucapio utilitatis tantum causa introducta, ut eo facilius jus suum consequi possit. Tempus autem huic præscriptioni destinatum est, inter præsentem spatium decem annorum, inter absentes viginti. Atq; ut quis jure asserere possit se usucepisse servitutem, tria requiruntur teste *Don. l. 11. Com. c. 12.* 1. ut sit in bona fide constitutus, *l. ult. §. fin. C. de præscript. long. temp.* 2. ut sit servitute longo tempore usus nimirum 10. vel 20. annos, nec vi, nec clam, nec precario *l. fin. C. de serv.* 3. ut usus origo memoriam hominis excedat ubi nec titulus nec scientia domini necessaria *l. 3. §. 4. ff. de aq. quot & est.* Hinc sequitur, non opus esse ut allegetur titulus, sed sufficit patientia & tolerantia domini *l. 10. in pr. ff. si serv. vind. l. 1. §. 33. ff. de aq. & aq. pluv. arc.* quæ quasi possessionem rerum incorporalium efficit, & ex qua titulus postea præsumitur *l. si filius C. de pet. her. Sich. ad t. 2. C. b. T. Don. l. 11. Com. c. 12. ibiq; Hilliger Cœp. de serv. c. 20. n. 6. Ant. Fab in Rat. ad l. 14. ff. de serv. & ad l. 10. in pr. ff. si serv. vind. Harp. in §. 4. 7. b. T. n. 4. Bach. in not. Tr. O. 1. d. 17. th. 9.*

VI.

De servitutibus tam rusticis quam urbanis prodiæ sunt duæ actiones in rem (a) quarum una Confessoria (b) altera Negatoria vocatur. (c)

(a) Quæ actiones etiam iis competunt, qui personales vindicare volunt servitutes *l. 5. in pr. & §. 2. ff. si ususfr. pot. l. 2. ff. si serv. vind.* Sunt autem hæ actiones in rem seu vindicationes rerum incorporalium introductæ ad instar vindicationis rerum corporalium, à quâ tamen differunt in eo,

B 3

quod

quod in corporalium rerum vindicatione is solus petitoris partibus fungi possit, qui non possidet *l. 36. in pr. ff. de R. V.* In incorporalium verò actionibus unus petitoris & possessoris partes sustinere possit *§. eq. J. de A. l. 6. §. 1. ff. si serv. vind. Rob. recept. jur. lect. l. 1. c. 18.*

(b) Confessoria actio datur ei, qui sibi servitutum debere contendit *l. 2. in pr. ff. si serv. vind.* Estq; duplex, directa & utilis; illa experitur, is qui jure civili dominus est, hac bonæ fidei possessor, emphyteuticarius, creditor *l. 16. ff. de serv. l. 9. ff. de nov. oper. nunc. Vasallus tit. 8. in pr. vers. rei autem l. 2. f. Superficiarius l. 1. §. fin. ff. de superficiebus:* At non usufructuarius eâ uti potest ad vindicandum servitutes fundo, in quem usumfructum habet, debitas, quia non est dominus nec similis domino *l. 25. ff. de V. S. verum loci proprietarius Don. l. 11. Com. c. 15.* Constringit verò actio Confessoria, non eum tantum, qui dominus est fundi, à quo servitus debetur; sed quemcunq; possessorem aut detentatorem *l. 1. ff. si serv. vind.*

(c) Negatoria competit Domino qui negat fundum suum servire *l. 5. §. fin. ff. si ususfr. pet.* Duplex quoq; est uti Confessoria directa scilicet & utilis. Et habet ista hoc singulare, ut oneret reum probatione, quæ in Confessoria & in aliis actionibus actori regulariter incumbit *l. 2. l. 21. ff. de probat.*

Exitus porrò harum actionum est, ut Judex per sententiam declaret rem petitam ad actorem pertinere *l. 8. §. 4. ff. si serv. vind.* Deinde Reum condemnet in id quod actoris interest *l. 4. §. 2. ff. si serv. vind.* & ad præstandam cautionem de non amplius offendendo *l. 7. l. 12. ff. d. T.*

VII.

Amittuntur servitutes tam rusticæ, quàm urbanæ Confusione, (a) Remissione, (b) non utendo, (c) & interitu rei (d) (a) Fit

(a) Fit confusio, si dominus fundi dominantis adquisi-
vit fundi servientis dominium, vel vice versa, si dominus
fundii servientis fundi dominantis dominus factus est *l. 30. ff.
de S. U. P. l. 1. ff. quemadm. serv. amitt.*: tunc enim servitus
planè interit, quia res propria nemini servit *l. 5. in pr. ff. de u-
suf. l. 26. ff. de S. U. P.* Duo tamen sunt casus quibus confusio-
ne non perit servitus 1. quando servitus per plura prædia de-
betur, Dominus autem medium acquisivit, hoc modo servi-
tus retinetur, nec, si rursus fundum vendit Dominus nova
impositione opus habet, *l. 15. ff. si serv. vind. l. 31. ff. de S. R. P. si
partem prædii tantummodo nactus sit, tunc enim non con-
funditur, quia per partes retineri servitus potest l. 8. §. 1. ff. de
serv. l. 30. §. 1. ff. de S. U. P. Don. l. 11. Com. c. 17.*

(b) Remissione extinguitur servitus, si dominus prædii
dominantis donaverit vel remisit servienti servitutem,
aut concesserit ipsi potestatem liberè faciendi quidpiam
unde servitus impeditur *l. 17. ff. com. præd. d. l. 6. ff. de serv. l. 8.
in pr. ff. quemadm. serv. amitt.* quod nõ solū expressè per ver-
ba fieri potest, verum etiã tacitè, si facto aliquo Dominus de-
claret se remisisse servitutem *d. l. 8. in pr. ff. si serv. vind.*

(c) Non utendo amittitur servitus, quando vicinus eã non
utitur, inter præsentem quidem decennio, inter absentes au-
tem viginti annis *l. 6. §. 1. l. 10. in pr. ff. si serv. vind. l. 13. l. 14. C. de
serv. neq; per se neq; per alium l. 5. 20. 21. 22. 23. 24. 25. ff. si serv.
vind. idq; si totius usu absteineat: nam si ex parte eã utitur, to-
ta servitus retinetur l. 18. ff. de S. R. P. l. 2. l. 6. in pr. 8. 9. ff. si serv.
vind.* Hęc ita se habent in servitutibus prædiorũ rusticorum;
at in urbanis amplius requiritur factum aliquod, quo osten-
dat dominus prædii servientis libertatem se usucepisse, sc. si
posuerit, feceritvè nonnihil in suo, unde usus servitutis
impediatur *l. 6. in f. l. 7. ff. de S. U. P. vel si ædes per cõstitutum
tempus ita possederit l. 32. §. 1. ff. eod. Don. l. 11. Com. c. 18.*

(d) *Bach. in not. ad Tr. V. r. disp. 17. th. 16. Ves. in par. ad Tit.
quemadm. serv. amitt. n. 4.*

SOLI DEO GLORIA


[Faint, mostly illegible Latin text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 25 horizontal lines.]




X2615937

V077







1636,5

M

...
IDICA.

IBUS

S.

if. Dn. Or-

liquorum Do-
Philyreâ

(2)

RI J. U. D.

. publ.

Lipsiensis

ajoris

oris solitis

CKISCH.

